Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 993
Quelle:
Copyright:

as columnas luculente exaratus, rubricisque pernotatus complectitur: I. D. *Bernardi* Abb. *Claraevall. Sermones in Cantica* ita, ut pluribus membranis deperditis initium modo ſit a fine *Sermonis* XXIV. atque his verbis: *Jam omne adiutorium, quod tibi ex me debebatur, uertiſti tibi in confuſionem — Utinam et nos ſimus de illis annumerati dilectoribus ſponſi præſtante eodem domino noſtro ihesu chriſto.* Sequitur *Sermo* XXV. hoc initio: *Hoc demum tertio Fratres reditum ab urbe noſtrum* &c. Recte notavit ſua in editione *Mabillonius* T. IV. *col.* 1345. inter hunc et praecedentem *Sermonem* et a Codicibus, et ab Editionibus eos ſecutis turbatum fuiſſe eo, quod *Bernardus* ex *Italia* redux *Sermonem* XXIV. cum alio Exordio et alia Clauſula repetierit. Itaque, quae ſuperius citata ſunt verba, apud eum *col.* 1347 — 48. partim in contextu *Serm.* XXIV. partim in *nota* leguntur; illa vero: *Videas ambulare ſeorſim — deſiderare, quae ſurſum ſunt, rectitudo;* a Codice noſtro penitus abſunt, in quo deinceps Sermones *uno* numero *Mabillonium* praecedunt. In *Serm.* XXVII. ſeu *Lamentatione ſuper fratrem ſuum Gerhardum* excidere membranae a verbis: *non hunc qui obdormivit in domino. Exite* —. usque ad verba *Serm.* XXXIII. *favorabile quidpiam cantare nobis de canticis Sion* &c. Ultimus eſt *Sermo* LXXXIV. (*Mabill.* LXXXIII.) ad cujus finem quaedam ſitu corrupta ſunt Supereſt:

Chriſtus ſcriptorem ſaluet per Matris amorem.

Capto experimento Textum comperi nihil habere prae Editis, niſi quod *Serm.* nobis XXVI. malim ſcriptum *filiae Babylonis* vel *filiae Belial* pro impreſſo *filiae Baal*, ut I. *Reg.* 1. 16.

II. *fol.* 151. p. 2. adſcriptum eſt alia manu Poema prolixum morale varia Vitae praecepta tradens, ſed ab aevo, ſituque peſſime habitum, cujus initium:

Ardua virtutum faciles cape lector ad uſus.
Alta ſolent humiles carpere poma manus.
Has ego dictus opes abbas reſerabo iohannes,
Abdita cum nullum gaza juvamen habet.
Vtilis eſt operis magnos releuare labores,
Et grave per planum ducere pondus iter.
Hinc ego, quo facilis ſapientia fiat alumnis,
Ethica dulciſonis uerba notabo modis. &c.

Verſum certe eleganter concludere didicit ab *Ovidio Johannes* noſter, quem neque apud *Leyſerum*, neque alibi deprehendi. Agit vero pri-